



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Prima Controuersia. An per absolutam Dei potentiam fieri possit, vt in
anima Christi sit iudicium erroneum intellectus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

lis, quia per modum propriæ passionis emanat ex A
virtutibus intellectus animæ nostræ natura. Quia
tamen ad principiorum notitiam præter lumen
naturale, quod est principium iudicandi, neces-
sariæ sunt species intelligibiles ex sensibilibus ac-
quisitæ, quæ sunt apprehensionis principia pro-
xima, ideo Philosophus in 2. Post. c. vi. dixit præ-
dictum habitum esse acquisitum: quod etiam si-
gnificat S. D. in 1. 2. q. 51. ar. 1. dicens nullum habi-
tum operatum inesse nobis à natura; quia saltē
vltimum habitus complementum (quod in ha-
bitu principiorum est per species intelligibiles)
non est nobis congenitum, sed acquisitum. Ex
his patet, quomodo cognitio primorum princi-
piorum pertineat ad animæ nostræ naturam, vt B
assumitur in tertia probatione: pertinet enim pri-
mo ratione luminis intellectus agentis, quod est
animæ facultas naturalis: Secundo, quia cognitio
principiorum habitualis consequitur animæ no-
stræ naturam: Tercio, quia cognitio eorundem
actualis terminat naturaliter inclinationem ani-
mæ nostræ naturalem. Ex quibus vltius sequit-
ur optimam & euentem esse prædictæ proba-
tionis consequentiam: vt pater applicanti, &c.

QUATVOR dubitationes proponit, ac definit
Suarez disputatione sua 24. PRIMA est: An in anima
Christi sit intellectus creatus, & quanta sit perfectionis?
SECUNDA: An fuerit in Christo homine actus intelli-
gendi creatus, & ex quo tempore? TERTIA vtrum actus
intelligendi anima Christi fuerit verus, certus & euentus?
QUARTA: Vtrum in anima Christi fuerint habitus in-
tellectuales. Circa quas duo tantum sunt exami-
nanda, primum est: An per absolutam Dei poten-
tiam fieri possit, vt in anima Christi sit iudicium
erroneum intellectus. Secundum est: An Christus
habuerit seu habere potuerit errorem in parte sen-
situa. Reliquas vero difficultates & earum reso-
lutiones lege, si vis, apud dictum auctorem: circa
secundam vero specialiter lege Capr. in 3. dist. 24.
q. 1. & Cai. super hoc a. & Aluarez. disp. 51. quæritur
ergo primo.

Prima Controuersia.

An per absolutam Dei potentiam fieri possit, vt in
anima Christi sit iudicium erro-
neum intellectus?

Sententia
Doctorem.

PARTEM affirmantem tuerentur illi Scholastici,
qui docent Deum de potentia absoluta posse
mentiri aut falsum dicere, vel inclinare ad falsum:
quos referunt & impugnant Bannes in 2. 2. q. 1. a. 3
& ibidem Valentia, & alii.

Suarez in allegata disput. 24. sect. 3. in fine duo di-
cit. Primum est difficile esse implicationem con-
tradictionis in hoc ostendere, & non videri hoc
nude consideratum in ordine ad potentiam qua-
si physicam contradictionem inuolueret, licet cō-
sideratum in ordine ad potentiam coniunctam
diuinæ sapientiæ videatur repugnare. Secundum
est, se non posse ita de Christo seu de Deo homi-
ne sentire, vt existimer potuisse vel in intellectu
eius cadere errorem, vel in sermone mendacium
etiam materiale sine culpa.

Oppositam sententiā tuerentur illi omnes scho-
lastici, qui docent Deum per absolutam sui potē-
tiam mentiri non posse, aut ad falsum inclinare.

Resolutio.
In anima
Christi nul-
lum esse pos-
se iudicium
erroneum.

DVO hic supponenda sunt. Primum est diffi-
cultas inter potentiam Dei absolutam, & poten-
tiam Dei ordinariam vel ordinatam de quarum
differentiis egimus in 1. p. q. 25. a. 5. post D. Th. ibi-
dem ad 3. & in 3. dist. 1. q. 2. a. 3. Videndus est etiam
Bannes in 2. 2. loco notato. Secundum est: De poten-
tia in D. Thom. 3. partem.

tia absoluta Deum neque per se, neque per alium
mentiri posse: vt late probant Ban. & Val. loco su-
perius allegato: Quibus suppositis

Dico fieri non posse per absolutam Dei potentiam, vt
anima Christi iudicium habeat erroneum in intellectu.
Probatur. Primo: quoniam ideo est impossibile
Deum mentiri, aut errorem in intellectu causare,
quia si Deus hæc faceret, hoc ipso auerteretur à
semetipso, & veller id, quod est ipsi vt summæ
veritati & bonitati contrarium: at hoc idem ab-
surdum sequeretur, si in anima Christi Domini
esset aliquis error: ergo. Maior probatur: quia
falsitas & error speculatiuus non tantum opponi-
tur veritati creatæ, sed etiam ipsi primæ veritati &
sapientiæ, qua Deus iudicat hoc aut illud obiectū
ab eo cognitum esse verum: constat autem Deum
esse veritatem ipsam & sapientiam & iudicium.
quo de rerum omnium iudicat veritate: igitur sibi
contrarius & à semetipso auersus esset Deus, si fal-
sum diceret aut errorem causaret, non minus quā
si peccaret aut esset causa peccati. Minor autem
probatur: Quoniam actiones humanitatis Chri-
sti non à Deo tantum, vt prima causa, sed etiam
speciali quadam ratione dirigebantur à Verbo il-
li personaliter vnito: igitur in actibus intellectus
animæ Christi nulla potuisset falsitas aut error.
Antecedens patet: quia ad suppositum rationalis
naturæ specialiter & proxime pertinet dirigere om-
nes eius operationes. Conseq. vero probatur:
quoniam ideo dicunt Theologi præsertim Tho-
mistæ Angelum & primum hominem in primo
instanti suæ creationis non potuisse peccare, quia
peccatum illud Deo tribueretur vt auctori & di-
rectori naturæ: at multo magis dirigit Deus as-
sumptam à Verbo humanitatem, & eius omnes
actiones, quam naturam Angelicam aut Adam in
primo instanti creationis, ob dictam causam, quia
scilicet duplici ratione dirigebantur à Deo: ergo.
Et hæc est doctrina Damasceni lib. 3. de fide cap. 12. Se-
cundo probatur: quoniam actiones naturæ sunt
actiones suppositi operantis vt quod: igitur actio-
nes humanitatis Christi sunt actiones personæ
Verbi vt operantis: igitur falsitas omnis aut er-
ror, qui esset in cognitione animæ Christi, Verbo
tanquam supposito per animam operanti tribue-
retur. Tercio probari potest hoc dictum illis om-
nibus argumentis, quibus probant expositores
prædicti scilicet Ban. & Val. Deum nec posse me-
tiri, nec in alterius mente causam esse posse falsi-
tatis aut erroris. Sed de hoc iterum differemus vl-
terius infra quæst. 15. a. 3.

CONTRA prædictam veritatem produci possent Indicantur
argumenta, quæ contra secundum suppositum argumenta,
referunt & soluunt Ban. & Val. loco supra notato. & solutio-
nes.
Disput. 61. c. 9. quibus satisfiet in dicta q. 15. a. 3.

Secunda Controuersia.

An Christus habuerit aut habere potuerit errorem in
parte sensitua?

REFERTUR à quibusdam recentioribus opi-
nio Magistri Victoris ex eius scriptis in 3. p. q. Doctorem.
5. a. 3. dicentis non esse inconueniens, vt Christus
infans deciperetur secundum sensum, vel somnia-
ret aliquid falsum.

Suarez Disput. 24. sect. 3. §. Ad secundam confirmatio-
nem ait Christum Dominum ita sua virtute con-
fortasse sensus exteriores, vt semper viderent seu
apprehenderent res, pro vt vere sunt siue prope
essent siue distantes, & siue hoc siue illo modo ap-
plicarentur. Alii nouiores dicunt Christum nun-
quam somniasse, ne deciperetur, quia homo cum

M m somniat